IHESU EXPLICIT
SCRIPTA ECCLE

IN LIBRO SECUNDO.

Angelo suadente scribere.

Hæc dicit qui habet septem spiritus dei et septem stellas. Noui opera tua et quia nomen habes quod uiuas et mortuus es. Esto uigilans et confirma cætera quæ moriuntur. Non enim inuenio opera tua plena coram deo meo. In mente ergo habe quomodo acceperis et audisti et custodi et pænitentiam age. Si ergo non uigilauero ueniam tibi quasi fur et nescies qua hora ueniam tibi. Sed habes paucos nomina in Sardis qui non inquinauerunt uestimenta sua. Et ambulabunt mecum in albis quia dignos habebit. Qui uicerit sic uestietur uestimentis albis et non delebo nomen eius de libro uitæ et confitebor nomen eius coram patre meo et angelis eius. Qui habet aures audiat quid spiritus dicit ecclesiis. Et angelo ecclesiæ philadelphiæ scribe. Hæc dicit sanctus et uerus qui habet clauem dauid qui aperit et nemo claudit claudit et nemo aperit. Scio opera tua ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere quia modicum habes uirtutem et seruasti uerbum meum et non negasti nomen meum. Ecce dabo de synagoga satanæ qui dicunt se iudeos esse et non sunt sed mentiuntur ecce faciam eos ut ueniant et adorent coram pedibus tuis et cognoscant quia ego dilexi te. Quia seruasti mandatum patientiæ meæ et ego te custodiam de hora tentationis quæ futura est in orbem terræ tentare habitantes super terram. Ecce uenio cito tene quod habes ut non accipiat corona tua. Qui uicerit faciam eum columnam in templo dei mei et foras non egredietur amplius et scribam super eum nomen dei mei et nomen ciuitatis dei mei nouæ hierusalem quæ descendit de caelo a deo meo et nomen meum nouum. Qui habet aures audiat quid spiritus dicit ecclesiis. Et angelo ecclesiæ laodiceæ scribe. Hæc dicit amen testis fidelis et uerus principium creaturæ dei. Scio opera tua quia neque frigidus es neque calidus utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus incipiam te euomere de ore meo. Quia dicis quia diues sum et locupletatus sum et nihil mihi deest. Nescis quia miser es et miserabilis et pauper et cecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum ut ditis fias et uestimenta alba ut induaris et non appareat confusio nuditatis tuæ et collyrio inlinito oculos tuos ut uideas. Ego quos amo arguo et castigo. Zelare ergo et pænitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulsabo si quis audierit uocem meam et aperuerit mihi ostium ingrediar ad illum et cenabo cum illo et ipse mecum. Qui uicerit dabo ei sedere mecum in throno meo sicut et ego uicerui et sedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aures audiat quid spiritus dicit ecclesiis. Et post hæc uidi et ecce ostium apertum in caelo et uox prima quam audiui tamquam tubinis loquentis mecum dicentis ascende huc et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu et ecce sedes posita erat in caelo et super sedem sedens. Et sedens similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis et iris erat in circuitu sedis similis aspectui smaragdi. Et in circuitu sedis sedes uiginti quatuor et super sedes uiginti quatuor seniores sedentes circumamictos uestimentis albis et in capitibus eorum coronas aureas. Et de throno procedebant fulgura et uoces et tonitrua et septem lampades ardentes ante thronum quæ sunt septem spiritus dei. Et in conspectu throni tamquam mare uitreum similis crystallo et in medio sedis et circa sedem quattuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni et animal secundum habens faciem quasi uituli et animal tertium habens faciem quasi hominis et animal quartum simile aquilæ uolanti. Et quattuor animalia habebant singula alas senas et in circuitu et intrinsecus plena sunt oculis et requiem non habebant die ac nocte dicentes sanctus sanctus sanctus dominus deus omnipotens qui erat et qui est et qui futurus est. Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum uiuenti in sæcula sæculorum procidebant quattuor seniores ante sedentem in throno et adorabant uiuentem in sæcula sæculorum et mittebant coronas suas ante thronum dicentes dignus es domine deus noster accipere gloriam et honorem et uirtutem quia tu creasti omnia et propter uoluntatem tuam erant et condita sunt. Et uidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris signatum septem sigillis. Et uidi angelum fortem clamantem in uoce magna quis dignus est aperire librum et soluere signacula eius. Et nemo poterat in caelo neque in terra neque sub terra aperire librum neque uidere eum. Et ego flebam multum quia nemo dignus inuentus est aperire librum neque uidere eum. Et unus de senioribus dixit mihi ne fleueris ecce uicit leo de tribu iuda radix dauid aperire librum et soluere septem signacula eius. Et uidi in medio throni et quattuor animalium et in medio seniorum agnum stantem tamquam occisum habentem cornua septem et oculos septem qui sunt septem spiritus dei missi in omnem terram. Et cum accepisset librum de dextera sedentis super thronum quattuor animalia et quattuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum. Et cantabant quasi canticum nouum dicentes dignus es accipere librum et aperire signacula eius quoniam occisus es et redemisti nos deo in sanguine tuo de omni tribu et lingua et populo et natione. Et fecisti nos deo nostro regnum et sacerdotes et regnabimus super terram. Et uidi et audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum et erat numerus eorum milia milium dicentes uoce magna dignus est agnus qui occisus est accipere uirtutem et diuitias et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Et omnem creaturam quæ in caelo et super terram et sub terra et quæ in mari et omnia quæ in eis sunt audiui dicentes sedenti super thronum et agno benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum. Et quattuor animalia dicebant amen. Et seniores quattuor ceciderunt in faciem et adorauerunt uiuentem in sæcula sæculorum. Et cum aperuisset agnus unum de septem sigillis audiui unum de quattuor animalibus dicentem quasi uocem tonitrui ueni. Et ecce equus albus et qui sedebat super eum habebat arcum et datus est ei uictor et ut uinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum audiui secundum animal dicentem ueni. Et exiuit alius equus rufus et sedenti super eum datum est ei ut sumeret pacem de terra ut inuicem interficerent et datus est ei gladius magnus. Et cum aperuisset sigillum tertium audiui tertium animal dicentem ueni. Et ecce equus niger et sedens super eum habebat stateram in manu sua. Et audiui quasi uocem in medio quattuor animalium dicentem bilibris tritici denario et tribus bilibris hordei denario et uinum et oleum ne nocueris. Et cum aperuisset sigillum quartum audiui uocem quartum animal dicentem ueni. Et ecce equus pallidus et sedens super eum habebat nomen mortis et infernus sequebatur eum. Et datum est illis potestas super quattuor partes terræ interficere gladio et fame et morte et bestiis terræ. Et cum aperuisset sigillum quintum uidi sub altare animas interfectorum propter uerbum dei et testimonium quod habebant. Et clamabant uoce magna dicentes usquequo domine sanctus et uerus non iudicas et uindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut et illi. Et cum aperuisset sigillum sextum uidi et ecce terræmotus magnus factus est et sol factus est niger tamquam sacculus cilicinus et luna tota facta est sicut sanguis. Et stellæ caeli ceciderunt in terram sicut ficus immittit grossos suos cum a uento magno mouetur. Et caelum recessit sicut liber uolutatus et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Et reges terræ et principes et tribuni et diuites et fortes et omnis seruus et liber abscondebant se in speluncis et in petris montium. Et dicebant montibus et petris cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et a ira agni quoniam uenit dies magna irae ipsorum et quis potest stare.

VIIII